

DE APOTHEOSI NATVRAE
QAEDAM PRAEFATVS
AD RENVNCIATIONEM
MAGISTRORVM

D. X. FEBR. A. C. N. MDCCLXXX.

IN AVDITORIO PHILOSOPH.

RITV SOLENNI HABENDAM

RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES

GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE

ACADEMIAE CIVES

INVITAT

DECANVS

CHRIST. GOTTLIEB SEYDLITZ

METAPHYSICES PROFESSOR.



LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEM. HAERED. ET KLAUBERTHIA.

Philos.

D.

94, 12

Mar. Acad. Fase. XXVIII^o. 9.

Misale


Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



DE
APOTHEOSI NATVRAE.

A quo tempore inceperunt homines cogitare de rebus occultis et ab ipsa natura inuolutis, (in quibus perscrutandis Philosophos imprimis occupatos fuisse, notum est) permagnam constat ortam esse de rebus grauissimis opinionum et sententiarum varietatem, quarum aliae vanitate sua extabuerunt, aliae a veritatis aut probabilitatis saltim commendatione ad postremam perdurarunt aetatem, et meliori vsae sunt fortuna.

Ac inter veteres quidem Philosophos nulla fere quaestio tanto cum studio, tantaque cum animi contentione agitata fuit, quanta omnium grauissima illa et longe nobilissima, de summa et principe rerum omnium causa. Fuerunt enim, qui existimarent, e quorum numero Socratem imprimis fuisse ferunt, mundum nec ab aeterno fuisse, nec temerario aliquo casu ortum, sed ab intelligente sapientissimoque architecto productum, atque tam certum esse hoc et euidens, vt dubitationi ne locus quidem relinquatur, facileque vllius Philosopho-



lofophi viteriori eius rei inquisitione et disputatione indigeamus *). Fuisse constat alios, qui contrarium statuerent ac censerent nondum de ea re ita constitutum esse, vt, qui in ea diligentius tractanda occuparentur, inanem ac vanum laborem suscipere putandi essent.

Sed quid vtimur antiquis? hac ipsa aetate nostra, quis ignorat, reperiri, qui, vere dari causam aliquam omnium rerum supremam, intelligentem, et a mundo diuersam, partim dubitent, partim plane negent dicantque, nugatoria esse, ad plebemque et infimam multitudinem decipiendam excogitata quaecunque pro ea adferenda et tuenda afferantur aut doceantur **).

Bene quidem nouimus, quam sint multi in eo genere ad calumniandum procliuēs, qui, quos intelligunt de Deo et rebus diuinis philosophari subtilius, non contentos vulgaribus notionibus, et infirmis aliorum argumentis ac demonstrationibus, Atheorum nomine traducant et infament. Sed eam vero ab innocentibus iniuriam detestamur. Nobis quidem res sit cum iis tantum, qui sublata Dei natura, omnem de virtute, iustitia, pietate doctrinam tollunt, et publicae salutis ac securitatis, quibus continentur, vincula rumpunt, quorum quanto perniciosior est opinio, tanto diligentiori opera et conatu videtur esse refutanda et reprimenda.

Sed in his, recentissima quidem memoria, praeter Lametrii temeritatem, quae tamen a Philosophis fere contempta est et ipsa leuitate ac peruersitate sua iacuit, nullius in Atheismi placitis aperte profitendis et peruulgandis licentia maior existit,

*) V. Batteux *Gesch. der Meynungen der Philosophen von den ersten Grundursachen der Dinge.* S. 169—70.

**) *Systeme de la Nature.* P. I. pag. 96.



tit, quam quae cognita est in nuperrimo auctore ignoto famosissimi libri, qui Naturae Systema inscriptus est *).

Cuius libri lectione ne miramur quidem multos allectos fuisse vel propter insignem dictionis et sententiarum suavitatem atque concinnitatem, vel propter auctoris aut veram aut simulatam in docendo ingenuitatem, vel denique propter novam, nec tritam ab aliis argumenti tractandi viam ac rationem. Verum sunt haec lenocinia latentis mali.

Fundamentum autem doctrinae suae Mirabaudius, quo nomine, licet ficto, auctorem eius scriptionis citabimus, ponit hoc, ut doceat, omnem vim, in qua insit gignendi, nutriendi et augendi facultas, in natura sitam esse. Qua in re auctores habet Epicurum atque in primis Stratonem **). Atque in hoc fundamento apte, quoad fieri possit, struendo, exaedificando et exornando omnem huius libri compagem contineri, ne quis temere illud a nobis dictum existimet, iudicabit, cuicumque lubeat diligentem operam eius lectioni impendere.

Nunc ad consilium nostrae huius scriptionis propius accedamus. In quo tamen ne quis alia aut plura a nobis expectet, quam quae sunt nobis proposita, monendum videtur, animum esse in ea tantum inquirere, quibus docere voluit Mirabaudius, omnem diuinitatem in Naturae viribus et proprietatibus collocatam esse; non item argumenta simul conquirere


A 3

et

*) Systeme de la Nature ou des Loix du Monde Physique et du Monde Moral, par M. Mirabaud.

***) — Strato is, qui Physicus appellatur: qui omnem vim diuinam in natura sitam esse censet etc. Cic. de Nat. Deor. L. I. c. 13.

— qui negat opera Deorum se uti ad fabricandum mundum: quaecunque sint docet, omnia esse effecta natura — quicquid aut sit aut fiat naturalibus fieri, aut factum esse docet ponderibus et motibus. Cic. Aca- dem. Quaest. L. IV. c. 38.



et afferre, quibus demonstretur et manifestum fiat, esse Deum, ens intelligens et a natura diuersum. *)

Iam vero primum per naturam, in qua sola diuinitatem inesse contendit, intelligendam esse statuit omnem materiae seu atomorum congeriem, eorumque nexus, et motus, qui quidem in hoc vniuerso conspiciantur, varios; **) eandemque naturam habere debere ipsam rerum vniuersitatem: Composita autem esse et nugatoria, quae de Deo tamquam ente a natura diuerso tradantur ac praecipiantur. ***)

Apparet ex his, quantum putamus, satis perspicue, in vniuersum negare Mirabaudium, esse naturas a materia et eius vi diuersas, quod cum reliquis fere Atheis commune praesidium, in quo delitesceret, quaesuit. Callide ille quidem; sed videbimus, quas paratas habeat copias, quibus se tueri conetur.

Non esse substantias, quas vocant spirituales, sed quicquid sit materiam esse, vel materiae vim et affectionem, probare studet variis modis, quos singulos ordine prosequemur.

Primum commemoratur hoc: nullam, ait, spiritus notionem posse formari ac mente concipi, substantiae nimirum, quae simplex sit, indiuidua, non extensa †): Substantiam partibus carentem nec moueri posse, nec alia mouere, nec agere in alia. ††)

Itane

*) Nec nos vsuri sumus hic opera Bergierii, Castillonii, Hollandi, quorum noti sunt in vniuerso Mirabaudii libro refellendo labores. Nostra erit diuersa ab his ratio.

**) La nature, dans la signification la plus étendue, est le grand tout, qui résulte de l'assemblage des différentes matieres, de leurs différentes combinaisons, et des différens

mouemens, que nous voyons dans l'univers. P. I. pag. 10.

***) Dans le Dieu des plus grands Theologiens on ne verra qu'une chimere établie sur des suppositions gratuites, et formée par l'assemblage confus de qualités disparates, qui rendent son existence totalement impossible, P. II. pag. 102.


†) P. I. p. 89, 90. ††) Ibid.

Itane vero Mirabaudius? an ista suae tantum rationi ita conuenientia putat, vt non profint etiam aduersae? Haud infitiamur quidem, spiritus notionem non tanta claritate percipi ac intelligi, quanta v. c. trianguli aut quadrati notiones comprehenduntur. Id autem vnde putemus accidere, nisi quod iisdem difficultatibus premitur, et eadem obscuritate inuoluta est omnis doctrina de substantiis, quae partibus carent? Suo igitur ipsius gladio iugulatur Mirabaudius. Ipse fatetur enim atomorum seu elementorum naturam ne quidem adhuc satis explicatam esse, *) idemque igitur de materia vniuersae asserendum est. Accipimus, quod dat; concedimus, eodem modo ignorari naturam spirituum, quo nos lateat natura materiae, seu atomorum, quarum appellatione hoc loco substantias materiales partibus plane carentes, seu, vt vocant, absolute simplices, complectimur. Nunc quid relinquetur Mirabaudio? Nonne vt aut nullam in ipsius argumento vim inesse, aut pariter materiae praesentiam et existentiam vel incertam ac dubiam reddi, vel penitus euerti confiteatur?

At materiam adesse, ex iis intelligimus, quae materia efficiuntur? Recte illud quidem Mirabaudius; sed item ad contrariam sententiam conuincendam haud sufficienter. Quid enim impedit, quominus propter effecta cogitationum, cupiditatum, perceptionum, eadem conclusio ad probandam spirituum naturam et causam adhibeatur, eademque via colligatur, has facultates peruersae tribui materiae, nec vlllo modo fieri posse, vt e vi mouendi repetantur ac deriuentur?

Nam quae deinceps contra spirituum vim eorumque ad motus recipiendos facultatem disputat, qualia negat in substantiam simplicem et immaterialem cadere vlllo modo posse, nullis argu-

*) Nous ne connoissons point les elemens des corps. P. I. pag. 31.




argumentis suffulta et arbitrarie sumta reperiuntur. Est sane quaestio, quod fatemur, de natura virium mouentium, de origine motus et substantiarum simplicium indole, tantae obscuritati obnoxia, vt vel summorum et acutissimorum Philosophorum ingenia aut parum aut nihil lucis ei attulisse constet. Quo minus cuiquam mirum videri debet, pari modo laborare, iisdemque difficultatibus implicari et qui spirituum causam tuendam susceperint, et materialismi defensores. Sed habet tamen in promptu Mirabaudius scilicet quibus se expediat. Substantias, quas vocant spirituales, et solidas esse posse, et mouere alias, et e loco in locum deferri vniuerse negat. Rationes eius rei, firmas et euidentes intelligo, desiderari, simulque vt oppositae sententiae repugnantia explanetur. Grauem certe et constantem Philosophum, qui, quod caput quaestionis difficillimae continet, ne aliqua quidem probatione muniret.

Nam et illud falsum esse, quod omnes veteres Philosophos spirituum existentiam negasse dicitur, *) eius doctrinae historia docet, et, si maxime verum esset, nihil tamen prodesse ad opinionem istam adiuuandam, quaestionis disceptandae natura arguit.

Sed relinquamus ea, quae de vniuerso genere naturarum materiae expertium a Mirabaudio dicta sunt. Fuit enim haec ad consecrandam naturae apotheosin praeparatio tantum, a qua progreditur ad confutandam spiritus infiniti, id est ipsius Dei existentiam, et argumenta nonnulla, quae ad eam confirmandam afferri solent conuellenda et contrarias rationes promendas, quibus conatur vincere a naturae solius viribus repetenda et deducenda esse, quae Deo ab aliis tribuantur.

Audiamus

*) P. I. pag. 95. coll. P. II. p. 197.



Audiamus igitur, qualia sint, quae moliantur. Materiam, ait, ab aeterno fuisse, eamque nec interituram esse unquam, ideoque a nulla re pendere alia, imo eius unius viribus, quicquid ortum sit, originem debere. Ea vero sunt capita, quibus persequi studet ac perficere coeptam, quam diximus, naturae apotheosin.


Primum itaque aeternam esse materiam pronunciat *). Quid mirum? quum omnes qui quidem Deum esse negarunt, hoc principio, ex quo cetera atheae doctrinae necerent, usus esse, historia philosophiae doceat! **) Cui confutando, quae solent directe intendi argumenta, nolumus nunc commemorare et recoquere; aliena enim est haec oppugnandi ratio a consilio huius scriptionis. Illud certe apparet, Mirabaudii quidem de aeternitate materiae placitum firmum esse non posse, quoniam nullo confirmavit argumento, et quod proxime cum illo colligatum est, materiam ab interitu liberam esse.

At obtusior est nostrae mentis acies, quam quae valeat assequi modum, quo possit vel oriri, vel deleri materia. Sed quae tandem est ista concludendi subtilitas, ut putetur necessaria consecutione intelligi, ne esse quidem id, quod nequeat animo comprehendi? Verior est ea conclusio, vanum esse hunc Mirabaudii in asserenda materiae aeternitate conatum. Quid? quod idem ipse Mirabaudius largitus est, summam esse mentis humanae imbecillitatem et coecitatem in perspicienda cum materiae, tum virium mouentium natura harumque in efficiendo ratione ac modo. In pari causa dicamus igitur,

*) Quelle est cette chose qui a existé de toute éternité? Pourquoi ne seroit-ce pas plutôt la nature ou la matière, dont nous avons des idées, qu'un pur esprit, ou qu'un agent dont

il nous est impossible de nous faire aucune idée? P. II. p. 103.

**) Lucretius de R. N. L. I. Gassendus in Libr. X. Diog. Laërt. p. 219. Cudworth. Syst. Intellect. p. 81, 284. 384



tur, etiam hic valere, quae ducta est ab ignoratis rebus, accusationem, ad negandam earum, hoc est, materiae et virium mouentium existentiam.

Non negamus quidem, originem materiae in incomprehensibilis ponendam esse, si vel maxime statuatur, esse Deum, mundi opificem et architectum infinitae potentiae. Ex hoc tamen imprimis fonte natum esse putamus multorum veterum Philosophorum de aeterna materia sententiam, quoniam solent fere homines ad mensuram suae facultatis, non nisi ex rebus, quae iam sunt, alias effingendi, vniuersam vim et facultatem exigere atque comparare,


Declarata opinionis vanitate, qua gratuito et vitiose sumfit Mirabaudius aeternitatem materiae, cuius tamen contingentiam rationibus, quas a priori vocant Philosophi, demonstrari non posse iudicamus, necesse est vt corruant etiam ea, quae ex illo consequuntur, tamquam: Praeter materiam nihil esse omnino; *) materiae effectiorem esse verbum inane, **) et quae sunt eius generis reliqua.

Sed simus liberales; largiamur, semper fuisse materiam, eamque ab interitu esse immunem. Id num tale putabimus, vnde possit intelligi praestantissimus rerum ordo, admirabilisque earum concentus et mirifica corporum coagmentatio ac fabricatio? Extitit tamen Mirabaudii ingenium, cui esset promtum explanare, quomodo haec sint omnia e materiae viribus, aeternis illis et cum materia necessario iunctis, attrahentibus, puta, et repellentibus, apte deducenda. Proximum est igitur nobis vt ea nunc quoque paullo pressius persequamur.

Moueri corpora eorumque motu effici atque produci infinitam rerum varietatem non infitiamur; eam vero vim mouendi

*) — tout ce qui existe est matière. P. I. p. 136.

**) — la creation n'est qu'un mot. P. I. p. 25.



vendi necessario cum materiae natura copulatam esse, neque ab ullo vnumquam demonstratum est, neque posse demonstrari, arbitramur. Atque illud tamen cum statuatur Mirabaudius, idque sit caput atheae illius doctrinae, et contineat naturae apothecin, imprimisque desideret enucleatam pertractationem et argumentorum robur ac firmitatem, noluit sui dissimilis esse ad fingendique libidinem et leuitatem transire. Nam quicumque paulo attentiores animum ad eum legendum afferat, sic eum philosophari cognoscet: Si quis ex me quaerat unde sit materia? Semper eam adfuisse respondebo. Idem si pergat interrogando, unde oriatur motus materiae? Eam quidem, dicam, eadem de causa ab aeterno motam fuisse, quoniam nimirum sine motu, extensione, grauitate rel. materia cogitari non possit. *)

Quid? quo loco ista habebimus? Fecit sane, vt intelligendo nihil intelligeremus. Nam, vt mittamus, quaecumque dicit de materiae extensione, quoniam ambiguum est extensionis vocabulum, aliam ei significationem Physicis, aliam Mathematicis tribuentibus, vt verendum sit, ne quis verborum potius eam, quam rerum controuersiam existimet: Illud certe manifestum est, quod grauitatem et motum necessario materiae attribui oportere dicitur, affirmari ab eo et sumi, quod ipsum est in quaestione. Quodsi enim motus et grauitas ex natura vel corporis vel materiae possent intelligi, non sane fuisset, quare Physici vel summi et acutissimi in detegendis eorum causis tantum studium adhiberent, ac frustra illud etiam, quia, quae-

B 2

cun-

*) Ainsi lorsqu'on demandera d'où est venu la matiere? Nous dirons qu'elle a toujours existé. Si l'on demande d'où est venu le mouvement dans la matiere? Nous répondrons que par la meme raison ella a dû se

mouvoir de toute Eternité, vû que le mouvement est vne suite nécessaire de son existence, de son essence et de ses propriétés primitives, telles que son étendue, sa pesanteur. P. I. p. 26.



cunque adhuc de ea excogitata et disputata sunt, inanes esse potius opinantium coniecturas, quam explicantium sententias ac demonstrationes, vel summi Philosophi vno veluti ore confitentur. Apparet ex his, adhaerescere in Mirabaudio reprehensionem eam et obtrectationem quam in Theologos solet intendere, quo nomine omnes comprehendit, qui Deum esse statuunt, et quos temere et arbitrarie sumtis niti criminatur. Ipse enim multoties reperitur esse disertissimus, vt clarum faciat et demonstret A esse B, quoniam A fit B.

Sed si vel maxime daremus aeternum esse materiae motum et grauitatem; tamen ne sic quidem locum habere possunt, quae de viribus attrahentibus et repellentibus disputat, tamquam ex quibus confidenter pronuntiat, omne illud deducendum esse, quicquid in plantarum, animalium, aliorumque corporum situ, structura et motu, admirandum videatur.

Primum enim attrahendi repellendique vires, quae vocantur, non sunt materiae proprietates, sed effectus a causis externis deriuandi. Neque vero est quod Neutoni, summi viri, quem citat, auctoritate nitatur, quem constat ea appellatione noluisse corporum qualitates ipsis inhaerentes significare *) sed usum esse his vocabulis tamquam *formulis loquendi* ad quaedam naturae phaenomena indicanda, non earum causas explicandas. Nulla enim vel materiae vel corporum vis cogitari potest ac mente concipi, quae in corporibus distantibus et ab ea vi remotis immediate efficere motum queat.

Quae cum ita sint, Mirabaudio tamen videtur iste tardioris et hebetioris ingenii Philosophus, cui materiae, seu atomorum congeries, et, quae insunt in materia mouendi vires non sufficiant ad mundi originem intelligendam, et naturae miracula interpretanda. Veritus autem sine dubio, vt probaret ea

Philo.

*) V. Holland. l. c. P. I. p. 29. 30.

Philosophis non hebetioris ingenii, opinionis socium aduocat
 Carresium, quem ipsum dicit pronuntiasse, ad exstruendum hoc
 vniuersum, praeter materiam et motum nulla alia re sibi opus
 esse. *) Sed parum consentire Cartesium cum Mirabaudio vel
 ex eo patet, quod in Cartesii enuntiatione latet opificis et effe-
 ctoris, hoc est, entis alicuius intelligentis ad materiam et mo-
 tum accessio; vt hic nihil addamus, quod ad accuratiorem ipsius
 effati Cartesiani inquisitionem pertineat. Illud certe perspicuum
 est, soli naturae diuinitatem non tribuisse Cartesium, quod qui-
 dem facit Mirabaudius, qui Theologos incusat, quod loco na-
 turae ens aliquod vanum et commentitium induxerint, iisque
 omnes de Deo nugae debeantur.**) Quae vtrum calumnia sit
 potius an vera obiurgatio, pluribus nunc excutiemus.


Posito eo, materiam ex qua omnia conflata sint, nul-
 lam habuisse originem, formas tamen materiae et corporum
 non ab aeterno fuisse, concedit.***) Vnde igitur formae istae,
 aut quae fuit machinatio, qui modus, quem adhiberent mate-
 riae vires ad hunc terrarum orbem cum ceteris totius vniuersi
 corporibus in hanc figuram, et hunc ordinem cogendum, eo-
 rumque motum et situm ordinandum atque conseruandum?
 His explicandis ea attulit, vt eum locum perlegendibus no-
 bis, non docentis, sed in re fatua garrientis, nec adseue-
 rantis, sed per ludum et iocum scribentis personam suscepisse
 videretur. Audiamus ipsum de origine orbis terrarum philo-
 sophantem. Existentiam esse, ait, vniuersi necessarium attri-
 butum; at formam eius atque originem aut videri adsignandam
 esse corporis cuiusdam coelestis excussioni; aut extitisse forsitan
 ex solis vel maculis, vel orae, quam Astronomi in eo deprehen-

B 3 di

*) Pour former l'univers, Descar-
 tes ne demandoit que de la matiere
 et du mouvement. P. I. p. 27.

***) P. II. p. 168. sqq.

****) P. I, p. 82,



di putarint, cruxta; aut esse stellam fortasse errantem, extincto igne suo, ex priori, quam currendo circumscribemat, in aliam regionem translata. *) O solertem interpretandae naturae, et eius diuinitatis probandae rationem! cui tamen illud incommodi inesse perspexit Mirabaudius, vt posset aduersariorum cavillationibus commodis vexari, et irridendo euerti. Igitur paratissimo remedio vsus, nodum scidit hoc modo: Si fortasse sint, inquit, qui nolint assentiri his coniecturis — si quaeratur vnde natura ita constituta sit, quemadmodum eam videmus esse comparatam; statuamus, **) hominem, animantia, plantas, rel. ab aeterno fuisse; sidera semper et ab omni aeternitate splenduisse; nec quaerendum esse, quare talis sit natura, qualem eam deprehendamus; nam non concessam et tributam esse homini omnium rerum scientiam et cognitionem.

Ac ne quid a nobis vel callide, vel negligenter omissum videatur, quod ad haec Mirabaudiani ingenii commenta pertineat, alium priori iungamus locum, †) in quo de ordine naturae praecipit. Ordo, inquit, nihil aliud est, quam causarum et effectuum concatenata series, quam in vniuerso effecit, atque nunc efficit necessitas. ††) Ab huius autem necessitatis legibus profectum esse, ait, et pendere ordinem, qui in coelestium corporum motu ac situ perspiciatur. His legibus factum esse, et nunc fieri, vt sol medium locum occupet; vt cetera corpora coelestia, quae planetae appellantur, grauitate sua versus solem nitantur, et ita circa eum voluantur et circumagantur, vt cursus eorum constantes atque perennes constant. Ex earundem legum natura sequi et intelligi terrae motum annum, et quadripartitas temporum commutationes; animantium item et plantarum mutationes, vicissitudines, rel. †††)

Carmen

*) P. I. chap. 6.

**) P. I. pag. 87, 88.

†) P. I. p. 57.

††) Ibid. pag. 58.

†††) Ibid. pag. 58.

Carmen videtur inchoare, tamquam poeta aliquis, cuius

*In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora.*

Sed poetarum licentiae quantum permittatur notum est. Philosophum vero oportet esse, vt Cotta apud Ciceronem ait, auctorem rerum, non fabularum. Qualis nunc auctor Mirabaudius? Quis dubitet? cum necessitati fictae hunc mirificum naturae et corporum coelestium aliarumque rerum ordinem attribuat, quem negare ne quisquam quidem Atheus audet.


Certum scilicet demonstrauit mundi architectum, in cuius vi et potentia possimus et debeamus hanc tantam vniuersi machinationem agnoscere, an induxit potius vanum aliquod nomen, *omni facultate agendi et efficiendi destitutum*, ac ne rem quidem nisi intra solam mentem conceptam? Id autem quid est aliud, nisi ementiri potius inanem aliquam speciem, et fabulas narrare, quam solidam rem sequi, et veritatem interpretationis ac demonstrationis consecrari? Prona est haec ad quodlibet portentum opinionis procreandum ratio; cui tamen sic fauent Athei, vt, ex quocunque demum fonte deriuas naturae admirandum ordinem eiusque partium mirificum concentum, ferant et amplexentur potius, modo ne diuersum a materia mundi opificem statuas.

Tantum de origine ac motu corporum coelestium, et huius terrarum orbis. Iam quid Mirabaudius de hominis, animalium et plantarum natura et ortu praecipit? Acute hic etiam ad excogitandum mouetur eius ingenium, vt imprimis sibi constans reperiatur. Hominem enim primo docet esse materiam combinatam, seu, eum ex materia, quae aeterna sit, conflatum.*)

Cuius

*) La matiere est eternelle et necessaire — et l'homme est-il autre chose que de la matiere combinée,

dont la forme varie à chaque instant?
P. I, p. 81.



Cuius quidem opinionis temeritatem de aeterna materia iam supra commemorauimus; neque hic consilium est operam perdendi in eo diluendo, quod ad hominem machinam ex sola materia constantem attinet, quia notum est, meris illud hypothesebus ab aliis tam saepe frequentatis contineri, vt facile possit contemni. Sed nunc per nos valeat et quasi firmum concedatur. Animus enim est cognoscere, quomodo vberius et explicatius hominis natura ab eo describatur. At hominem sic definit: Est ens materiale, ita conformatum, vt sentire queat et cogitare, aptumque recipiendae conditioni et indoli sibi propriae, quae sit ipsius structurae et conformationi, particularumque materialium, quibus constet, conglutinationi et coniunctioni conformis. *)

Quantum est, quod *nunc de re vel parum vel peruerse intellecta sapimus!* Molesti quidem pergunt esse et odiosi, qui Deum, ens a natura diuersum, idemque sapientissimum esse statuunt, dum quaerunt et instant: A qua tandem origine haec tam admirabilis structura et conformatio deducenda sit? Sed illud leue est, et leui opera a Mirabaudio ad hunc modum dissoluitur: Si quis a nobis percunctetur, ait, quam tribuamus illi generi, in quo sunt homines, originem, hoc nostrum responsum accipiet: quod sit illud pariter, vt reliqua entium genera, a natura productum, eisdemque partim simile, quatenus ab iisdem legibus pendeat, partim ab iis differens, pro diuersitate legum, ad quas conformatum sit. Cupienti autem scire, vnde homo sit ortus, ita satisfaciemus, vt dicamus, experiendo non posse enodari et diiudicari hanc quaestionem; nec magni interesse,


*) — lorsqu'on demandera ce que c'est que l'homme? Nous dirons que c'est un être matériel, organisé ou conformé de manière à sentir, à penser, à être modifié de certaines façons

propres à lui seul, à son organisation, aux combinaisons particulières des matières qui se trouvent rassemblées en lui. P. I. pag. 79—80.

esse, vtrum sit nobis aliqua, an nulla eius rei cognitio: Sufficere quod constet hominem ita constitutum esse, vt efficere possit, quibus efficiendis aptum illum et idoneum deprehendamus. *) An omni tempore fuerint homines, an aliquod a natura initium habuerint? fuerintne semper mares ac foeminae? an exstiterit aliquando primus homo aliquis, posteriorum parens et auctor? rel. de his omnibus quaestionibus perinde esse, quamcunque earum sententiam ingrediamur.

Videt autem ipse Mirabaudius, vigere adhuc et tueri se partes eorum, qui pugnant pro diuina aliqua vi ac natura, ad quam defendendam argumentis vtuntur petitis a mirifico artificio, incredibili sapientia, prudentissimoque consilio, quorum manifesta indicia in hominum, animantium ac plantarum, et vel singularum illorum partium, tamquam oculorum, aurium, etc. admiranda *structura* et *textura* conspiciantur, et cuilibet, modo non ad harum rerum perceptionem et diiudicationem stupido se offerant. Hanc debuit Mirabaudius quasi arcem causae inuadere et oppugnare, entisque intelligentis cogitationem ad tantarum rerum effectiorem superfluum esse, ostendere. Ad ea autem labefactanda et destruenda quam vim argumentorum adhibuit? Nullam sine dubio; quia, vt in superioribus, ita in his etiam, aut temeraria quaedam et arbitraria sumsit, quae ab aliis eodem iure repudiantur, quo sunt ab illo ficta, et pro lubitu posita, quale illud paulo superius de coeca quadam necessitate reperitur, a qua omne genitum esse dicitur, et vt euanescant ac proscribantur consilia et fines, quos Dei adsertores in huius vniuersi eiusque partium conformatione et *structura* reperisse persuasi sunt; aut quia sciscitantium de rebus contrariis et in alterutram partem necessario definiendis voces et interrogationes ita eludere conatur, vt quicquid sentiendi et statuendi liberam

*) P. I. p. 80.




beram optionem iis permittat. Liberam vero sentiendi optionem? quasi perinde sit, vtrum homines semper fuisse, an aliquando demum ortos esse, statuamus? Adeone hebetem Mirabaudium putemus, vt non intelligat, si prius verum dicamus, repugnantia esse statuenda; si posteriori assentiamur, aut a causa intelligente repetendam esse originem hominum, aut a causis vita carentibus, non tamen fictis illis, sed ad rationem reuocatis, efficacibus et sufficientibus? Sane patet, Mirabaudium, quoniam in necessitatem probandae et demonstrandae eius necessitatis, quam praefecerat gignendis, formandis et conseruandis huius vniuersi rebus, ipsum se induxerat, sic elabi voluisse, vt gratiam cuilibet faceret, quam velit, opinionem amplectendi.

Alia supersunt Mirabaudiana solertia et calliditate digna, de vegetabilibus, quae appellantur, et mineralibus, de quibus philosophatur hoc modo: Omnium rerum, quae ortae sint, originem generatim, dicit, ex atomorum concursione deducendam esse. Naturam vniendo et coagulando soles producere, qui occupent centrum systematum suorum; efficere planetas, qui sua vi et grauitate circa soles suos contorqueantur. *) Nihil deprehendemus, pergit, in rebus generandis, alendis et conseruandis, praeter folius materiae, vario modo colligatae, multiplex genus, cui vnicuique attributi sunt sui et proprii motus, temperati et ordinati secundum leges certas ac definitas, per quas existit omnis necessaria materiae mutatio. **)

Nihil

*) La nature, par ses combinaisons, enfante des soleils, qui vont se placer aux centres d'autant de systemes; elle produit des planetes, qui par leur propre essence gravitent et decrivent leurs revolutions autour de ces soleils. P. I. p. 38.

**) Dans la generation, dans la nutrition, dans la conseruation, nous ne verrons jamais que des matieres diversement combinees, qui chacune ont des mouuemens qui leur sont propres, regles par des loix fixes et deter-



Nihil reperiemus, ait praeterea, in formatione et incrementis mineralium et vegetabilium, nisi varietatem materiae, quae, se aggregando et accumulando, confluit, et extensa paulatim effingit sentientium, viventium, *) vegetabilium, aut his viribus carentium corporum, vel entium, ut vocantur, copiam et multitudinem. **)

Haec haecenus Mirabaudius. An apte? an ita, ut nequeant facili negotio dissolui? id quidem nunc agamus.

Non erit sane, qui dubitet, corpora coelestia, quaeque in hac nostra tellure reperiuntur, ex materia conflata esse. Sed in eo num putemus ita subsistendum esse, ut praeter ea, quae Mirabaudius vidit et attulit, nihil credamus esse, quod ulterius animadvertere et intueri nos oporteat? Illud, opinor, non leue, imo vel maximum, quod astute tamen ac vitiose tacuit et praetermisit, certissima nimirum et expressa documenta summae artis in his corporibus formandis, struendis et texendis adhibitae: eiusmodi artis, cuius similitudinem et excellentiam admiramur in mortalium opificum, ut pictorum, statuariorum, architectorum cet. operibus. Quorum causam et originem si quis vellet Mirabaudiana ratione ad solam materiam, eiusque motum, et motus leges referre, ac incognitae cuidam et coecae necessitati assignare, et auctores eorum, cum igno-

C 2

raren-

determinées, et qui leur font subir des changemens nécessaires. P. I. p. 39.

*) Laudat quidem Needhamum, qui experimentis docuerit, ex materiae putrefactione gigni posse animalcula. Sed primo haec non fuit Needhami sententia; deinde ita dudum explosam esse hanc sententiam constat, ut mirum sit, Mirabaudium, qui iacetat Phy-

fices insignem notitiam, afferre denuo illam potuisse.

**) Nous ne trouverons dans la formation, la croissance et la vie instantanée des animaux, des végétaux et des minéraux, qui s'aggrègent, qui s'accumulent, qui s'étendent et qui forment, peu à peu, des êtres sentants, vivants, végétants, ou pourvus de ces facultés. Ibid. p. 39.



rarentur, omnino aliquos esse, negare; quis est, quin eum temerarium, ne dicam insanum habendum esse, declaret? Neque satis est quasdam causas commemorare; nam sufficientes et idoneas recte postulant, qui partes Atheorum leuitati contrarias tuentur, quibus adeo non satisfecit Mirabaudiana naturae interpretandae ratio, quod euidenter docuisse putamus, vt nihil ea possit cogitari ineptius atque ieiunius. Ingenue itaque fatemur, nos Mirabaudii saltem decretis, et in persuadendo lenociniis adduci non potuisse, vt nostram de Deo abiiceremus sententiam, et cum eo naturam putaremus (vtimur autem eius verbis *) esse officinam immensam, in qua insit quicquid requiratur ad ea efficienda, quae oculis cernantur et deprehendantur; vt agnosceremus eius virtutem aliquam et vim internam atque necessariam, (vnicè efficacem scilicet illam, et satis potentem ad producenda ea, quae in corporum coelestium, terrae, hominum, animantium, origine, conformatione, situ, motu, structura, harumque rerum mirifica inter se conuenientia animaduertuntur,) et statueremus, tribui (ab iis nempe, qui Deum esse contendunt,) naturae opera et effectus fictae alicui causae et imaginariae, non nisi in motu aliquo et impulsu cerebri existentis: denique vt Deum loco phantasmatis haberemus, quod eiiciendum sit animo, quoniam impediatur, quominus veram homines consequantur felicitatem, eaque perfruantur.

Non


*) Regardons la nature comme un atelier immense, qui renferme tout ce qu'il faut pour agir et pour produire tous les ouvrages, que nous voyons. Reconnoissons son pouvoir inhérent à son essence; n'attribuons point ses oeuvres à une cause imagi-

naire qui n'existe que dans notre cerveau. Bannissons plutôt à jamais de notre esprit un phantôme propre à nous troubler, et à nous empêcher de prendre les voies simples, naturelles, et sûres, qui peuvent nous conduire au bonheur. P, II. p. 190,

Non arbitramur quidem vituperandum esse eorum studium, qui in vanis et praeiudicatis, vulgi de rebus praesertim maximi momenti, opinionibus opprimendis et extirpandis laborant, quos ad talem operam suscipiendam potius omni modo cohortandos et incitandos, propter susceptam autem, omni laude et honore prosequendos esse, iudicamus. Sed horum quid est quod conueniat in Mirabaudium? qui et ipse quidem ausus est hanc laboris sui causam praetexere, ut peruersas scilicet plurimorum et noxias de Deo, effectore, parente et moderatore huius vniuersi sapientissimo, opiniones confutaret ac reprimeret; quo conatu tamen acutissimus corrector et emendator errorum ita excidit, ut propter leuitatem in colligendis rationibus, et inania quaeque comminiscendi ementiendique libidinem opinator temerarius cognosceretur, et ipsam vulgi credulitatem videretur adsequi; denique efficeret, ut ab hac impietate citius animi auerterentur.

Ex quibus intelligitur, licet non putemus Socratis, Ciceronis, Neutoni, Clarckii rel. auctoritatibus ad conuincendam rem temerariam opus esse, tanto maiorem tamen reperiri in tantos viros Mirabaudii iniuriam, quos, cum ignorare nullo modo possent Atheorum vel veterum vel recentiorum rationem, ille tamen ausus est, cum vulgi stupore commiscere, et eorum pariter prudentiam contemnere.

Restant aliae Mirabaudii conclusiunculae ad oppugnandam Dei existentiam, a calamitatibus et malis, quibus angi et vexari genus humanum videamus, arcessitae. Sed ad has quoque diluendas ut progrediamur, non patiuntur huius scriptionis limites, consecutosque nos esse arbitramur per ea, quae hactenus sunt exposita, ut appareat, totam Mirabaudii rationem summionibus arbitrariis, et principiis adeo repugnantibus contineri, ceterum ab orationis elegantia, et sententiarum acumine, sua-




vitae et blanditiis ita conditam et exornatam reperiri, ut mirum non sit, fuisse, qui eius lectione delectarentur, et, quia destituerentur subtilioris philosophiae praeceptis, ac imperiti essent veri et falsi diiudicandi, vel grauissimis Atheorum erroribus implicarentur, vel certe in assentiendo redderentur ancipites.

Ex quibus illud etiam manifestum est, adolescentium, qui litteris operam dant, animos ad acerrimum rerum diuinarum et humanarum, veraeque sapientiae studium quolibet modo acuendos et stimulandos esse. Nam cum fere nulla sit aut tam vana, aut tam praua et turpis opinio, quam non philosophus aliquis vel excogitarit vnquam vel defenderit, eo maiori profecto contentione ad comparandam verae et solidioris philosophiae scientiam eniti debent inprimis ii, qui in erudiendis aliis, et religione ac virtute tradenda vel vindicanda digne recteque versari cupiant. Ad commouendam autem et inflammendam huius laudis cupiditatem cum plurimum profint exempla eorum, qui prae ceteris in hoc studio conuicti sunt, quorumque insignis ad comparandas has dotes eminuit industria; non potuit non iucundissimum nobis accidere, hoc etiam tempore oblatam esse Amplissimo Ordini nostro talium adolescentium copiam, qui post tentatam ipsorum, quam in artibus liberalibus et omni philosophia addiscenda acquirendaque adhibuissent operam et assiduitatem, digni sunt reperti, quos idem Ordo Amplissimus ceteris commendaret, ut ad eorum imitationem et ipsi se conformare studerent, partim praemio, hoc est laurea nostra, adficeret. Eorum autem nomina haec sunt:

IOANNES CHRISTIANVS IANCKE,
Gorlicensis.


HENRICVS EDVARDVS HOECHSTER,
Gedanensis.

CHRI-



- CHRISTIANVS HOEFER, Bibra - Thuringus,
Pastor Ecclesiae Droyfigensis,
IOANNES FRIDERICVS KROEBER,
Breunsdorfo-Misnicus.
CAROLVS GOTTLOB KVEHN, Mersebur-
genfis, Medicinae Baccalaureus.
IOANNES CHRISTIANVS KVEHN,
Merseburgensis.
IOANNES GOTTLOB POHLE, Langenauia-Lu-
fatus, Collega et Inspector Scholae Fri-
dericianae Regiae Vratislauenfis.
FRIDERICVS GOTTLOB IMMANVEL
SCHWARZ, Grimma-Misnicus.
IOANNES HENRICVS MEISNER,
Lipfienfis.
IOANNES FRIDERICVS IVNGHANS,
Annabergensis, I. V. Baccalaureus.
GOTTLIEB IMMANVEL DINNDORF,
Rottauia-Saxo.
IOANNES FRIDERICVS BECKIVS,
Longofaliffensis.
GEORGIVS NICOLAVS BREHM,
Curia-Baruthinus.
IOANNES MATTHAEVS HAEFNER,
Smalcaldia-Francus.
CAROLVS EPAENOTHEVS HAVSIVS,
Fremdiswalda-Misnicus.
IOANNES FRIDERICVS KOEHLER,
Brena-Saxo.
CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHWARZE,
Hayna-Misnicus.

CARO-



CAROLVS GOTTLOB HVNGER,
Voigtsdorfo-Misnicus.
IOANNES FRIDERICVS BEATVS HOEPFNER,
Hilperhusa-Francus.
CHRISTIANVS GODOFREDVS ALBERTVS
SCHNEIDER, Apolda-Vinariensis.

His igitur singulis et cunctis Philosophiae Doctoribus et bonarum artium Magistris renunciandis ac publice declarandis, nam in eis decem quoque illa caerimonia repetetur, qui primi leguntur quique in tabula publica Diplomate proposito iam declarati sunt, diem X mensis Februarii destinavit Ordo Amplissimus, cuius nos tantum interpretes, vt Tu, Rector Academiae Magnifice, itemque Vos, Illustrissimi Comites, reliquique Academiae et Ciuitatis Proceres, Commilitones denique genere et doctrina Nobilissimi, Carissimique, vt igitur vos hanc caerimonia, et actus solemnitatem Vestra frequentia condecorare velitis, vehementer rogamus.

